



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Peccatum an poßit in hastitudo committi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

laicali: quoniam etiam explicitè tunc negare se clericum, non nisi officiosum mendacium est.

Quinta est, circa differentias statuum personarum, nobilium vel ignobilium, &c. Et huius violatio ad immodestiam pertinet. De qua infra in verbo, ornatus.

Peccatum an possit in hastiludio committi.

HAstiludium (quo pro exercitatione bellica, aut pro solennitate festivæ alicuius iucunditatis regiarum armati equites duo contra se inuicem currunt cum lanceis) ex suo genere peccatum mortale non est: quia in eo cum interuenit ut in pluribus mors, aut mutilatio, aut quodcunque notabile personæ nocumentum: huiusmodi enim ludi ex hac sola causa perniciosi sunt scilicet ex nocumento personali. Et propterea si verum est quod supponimus (scilicet quod ut in pluribus non accidat homini nocumenti periculum) hastiludium & quicumque alius ludus militaris habens talem conditionem damnandus non est: quoniam actus humani ex eo quod ut in pluribus inuenitur, iudicantur. In cuius signum torneamenta damnantur, quia sæpe inde mortes proueniunt: ut patet extrâ de torneamentis. cap. felicis.

Peccatum infidelitatis quibus modis committatur.

HAeresis crimen est infidelitatis, ex tribus constans: scilicet errore in iis quæ sunt Christianæ fidei pertinaciter. Et aduerte primò diligenter, quòd tertia conditio requisita ad hæresim (scilicet obstinatio) non sic requiritur, tanquam non sit hæreticus, nisi qui sit inflexibilis & immutabilis: sed sic exigitur quòd homo vult in iis quæ sunt fidei sic credere, non obstante quod Ecclesia oppositum decreuerit quantum ad manifesta, aut decernere quantum ad ambigua.

V

bigua